

*Recitationis verborum institutionis.* Rectius D. Hauterus in Expl. plana ac perspicua Libr. Christ. Conc. tit. 7. de Coena Domini pag. 751. *Unio Sacramentalis non fit nisi in usu: Quo cessante, statim cessat ipsa etiam Unio, ita quidem, ut si vel millies atque iterum millies recitentur verba institutionis: tamen panis non prius sacramentaliter uniretur cum corpore Christi, aut prius inciperet esse novum via Corp. ris Christi, quam in ipso usu, hoc est in ipsa manducatione panis.* Unde regula illa Lutheri: *Nilil habet rationem Sacramenti extra usum divinitus institutum.* Neque tamen repetitio verborum institutionis, quæ communiter Consecratio audit omni destituitur fine, usu, ac effectu, sed, ut loquitur Deel. F. C. pag. 749. Benedictionis officio fungitur, quæ duplicem veneratur finem, alterum *διακριτικόν* Djudicatorium, quo recitatione Verb. Instit. segregantur ac discernuntur panis & vinum Eucharistica, à reliquis ejusdem generis Creaturis, & ad sacrum usum destinantur: Alterum *ἐρωτικόν* precatorium, quo recitatio illa ardentis preces excitare debet, ut DEUS nos dignos Hospites atque convivas efficere velit. Hutt. d. l. D. Gerh. in Hom. II. in S. Coenæ instit. p. m. 1351.

§. 15. Rationes ergo quæ nos movent proprietatem sensus literalis tutari, potiores hæ manent; Non esse à litera discedendum, nisi Textus evidentia cogat, vel scriptura alibi aliter se explicet; Novi Articuli vel Sacramenti novi propriam sede minime esse invertendam aut à proprietate vocum in iis temere recedendum: hoc enim non observato omnis collabasceret fidei certitudo; Testamenti quoque esse, ne quid ipsi addatur, nec dematur Gal. 3, 15. maxime quod est JESU Christi, cujus Testator est omniscipiens, quem non fugit perspicue loqui Es. 50, 4. ac omnipotens, ad præstandum id, quod instituit Zach. 8, 6.; Idem & velle consensum Evangelistarum, qui diversis locis ac temporibus institutionem S. Cænæ delinearint, retenta ubique proprietate sensus literalis: Matthæus enim, qui fuit primæ per Christum factæ administrationis *αὐτόπτης καὶ αὐτήκοος* consignavit hanc institutionem A. Claudii I. qui erat IX. post Ascensionem Christi, si fides penes Codicem Arabicum Kirstenii: Marcus discipulus & Interpres Petri eandem Romæ Anno II. Claudii sec. Eusebium: Lucas vero A. XIV. Claudii, ut vult Kirstenius d. l. & forte Antiochiæ censente P. D. Walthero in Offic. Bibl. pag. 1309. ast Paulus

aus